

59
actualibus, sed etiam possibilibus, si vel maximè in infinitum augeantur, quoad multitudinem & magnitudinem. Minor probatur ab Infinitate DEI, & immutabilitate DEI. Idè etiam, nempe DEUM ubique esse per essentiam (infinitam) cognovere homines sapientes ex solo lumine naturæ. Thales Milesius, qui unus è septem sapientum numerò fuit, paulò ante Jeremiam, uti quidem videtur, πάντα πλήρη θεῶν εἶναι, *omnia Diis plena esse*, ceu testatur Aristoteles l. i. de animâ c. 5. i. 86. & non multò post Heraclitus in ipsâ furnariâ sedens, ignis hyberni causa, veritis ad se ingredi ἐκέλευσε εἰσεῖναι θάρσυνται, εἶναι κ' ἄρα εἰ ταῦτα Θεός, uti loquitur Philosophus l. i. de part. animal. c. 5. h. e. dixit, ut confidenter introirent, quod nec ab eò locò abessent Dii immortales: ubi uterque quidem de unò eòque verò DEO loquitur, sed propter vulgum numerò utuntur multitudinis, vitiò illorum temporum, quibus credita πολυθεότης ad firmitatem Republicæ facere, ejus autem negatio capite luenda putabatur. Sic Pythagoras DEUM appellabat ψύχῳσι τῆ πατρὸς, animationem Universi, quod per omnes Mundi partes omnemque naturam sit diffusus, & ex eò omnia, quæ nascuntur, animalia vitam capiant. Mercurius Trismegistus in Pimandro & Asclepiò disertè scribit, Mundum esse vas plenum DEO & DEI Spiritum omnia continere. Hinc Virgilius, Jovis omnia plena: & Lucanus, Juppiter est, quodcunque vides.

§. 10. Secundum argumentum hunc in modum formari potest: A quocunque res omnes ex nihilo productæ sunt, is est omnipræsens: sed à D E O res omnes ex nihilo productæ sunt. E. DEUS est omnipræsens. Major confirmatur ex eò, quod qui res omnes ex nihilò produxit, etiam omnium rerum ubicationes produxit seu fecit, ut omnes essent in aliquò ubi, esse verò in aliquò ubi formaliter in-